



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 14. S. Bennonis, & S. Maurilij prodigiosus reditus, sorte & indicio clauium
reperatarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

cile diuinæ sapientiæ etiam per Arcadicum
 pecus, aut asini aut mulæ, aut bouis, aut
 vaccæ stupiditatem, ad prudentiam erudire.
 Cum rebellem filium Absolonē vellet Deus
 infelici arbori suspendere, mula carnificem
 egit: potest eadem etiam, si Deus vult, agere
 præceptorem. Vnde multò stultissimè a-
 gunt, qui inde se excusant à diuini Verbi
 auditione, quòd Parochos habeant, & sim-
 plices, & non satis doctos. Per bestiam te
 potest summus Magister instruere, quid
 quæris Platonem? Ipsi Apostoli nonne sim-
 plices fuerunt, atq; illiterati? Quid tunc fe-
 cisses, an Petrum piscatorem, aut Natha-
 naëlem *verum Israëlitam, in quo dolus non*
erat, concionantem audire noluisse? Sed ad
 Sortes, immo sortientes enumerandos re-
 uertamur.

2. Reg.
18.9.

Io. 1. 47

§. XIV.

*S. Bennonis, & S. Maurilij prodigiosus re-
 ditus, sorte & indicio clauium
 repertarum.*

Notissimus est D. Bennonis Episcopi &
 piscis & clauis, cui similem, sed non æquè
 notam historiam, ex Venantio Fortunato
 Episcopo Pictauiensi, qui tempore Iustini
 iunioris An. 570. floruit, referam. D. Mau-
 rili-

Venane.
 Fortunat.
 invita D.
 Maurilij
 cap. 15. &
 Sur. tom.

3. die 13.
Septemb

rilius Mediolanensis, D. Martini discipulus, multis magnisque miraculis clarus, quem Andegauenses Pontificem habuerunt, paulo postquam à S. Martino, columba candidissima super caput eius descendente, initiatus erat, in D. Petri templo solenniter fecit. Dum sacrificaret, adfuit, cum moribundo filio matrona illa, cui, ante id tempus; sterili eundem precibus à Deo impetrauerat. Ea matrona, non vitam corporis gnato, sed Spiritum S. postulabat manuū impositione, seu Confirmationis atque extremæ vnctionis fortasse etiam sacramento impertiendū; pulcherrimo matrum documento, ne mysteria tā sacrosancta luctui & lamentis suis posthabeant, sed vt regnum cælorum in primis medicumque animæ antè, quàm corporis quærant. Maurilius nequaquam rem præcipitare sacram assuetus, sed diuinis affectibus absorptus, dum in corpore & sanguine Seruatoris consecrando moram trahit, desinit puer trahere animam; atque ita hic prius vitam, quàm ille Missam absoluit. Audite, obsecro, rem mirissimam, & æri, immo pectori omnium Episcoporum ac Ecclesiasticorum penitus insculpendam; eorum autem præsertim, qui dum visitant di-

tio-

tionem, dum Sacramentū Chrismatis conferunt, lustrum est; aut qui lusibus symposiisque, cum morte & Styge luctantium agones negligunt, eosque sine culparum expiatione, sine extrema Vnctione, sine cælesti viatico emori sinunt, ne suas cogantur interrompere computationes ac ebrietates. Non sic Maurilius, non sic fecit; puer, sine Confirmatione decessit, illo non perpotante, sed ad sacratam mensam operante, libantéque sanguinem Christi. Quis eum non excusaret? quo altero negotio sanctiore occuparetur? immo quis religioni sibi non duceret, eo loco interiungere? At longè aliter calculum duxit sanctus ille præsul. Nam postquam *Ilicet*, dixit, vbi cognouit, puerum vixisse, inconsolabilibus lachrymis negligentiam suã deplorauit, sibi attribuens, quòd ille chrismate atque sacro oleo non vnctus, sine tanto dono, vitam finiisset. Hic cupio omnes mortales diligenter perpendere, quanti vel leuem culpam faciant, diuinorum iudiciorum gnari. Nam Maurilius, quoniam delictum istud nullo satis fletu abluisse arbitrabatur, diu multúmque, quid ageret, animo secum colluctante, statuit, domi ac inter ciues, tale piaculum lui non posse,

posse, sed voluntario exilio, puniendum. Consilio hoc capto, clam profugit, incogitansque secum claves asportat, quibus Reliquiæ Diuorum, in Andegauensi Ecclesia, custodiebantur. Sollicitus exul nullum satis remotum securumque exilium existimabat, nisi quod mare interpositum muniuisset. Ad littus ubi peruenit, dum nauæ morantur ventumque expectant, ne nihil ageret, per otium, in lapide, diem nauigationis suæ incidit, noménque adiecit, à nullo utique Andegauensi reperiendum. Conscensa nauis, atque in altum prouecta, tum demum cepit animaduertere, claves sacri thesauri secum ablatas: easque, cum manibus verfasset, subito, dæmonis inuidia excussas atque in mare esse prolapsas, duplici dolore angebatur. Quamobrem, non sine pio fletu, exclamauit, se nisi has claves iterum videre meruisset, patriam urbemque, non reuisurum. Et sanè, ante integrum septennium, non reuisit. Tanti etiam Deus vel leuem, ut nobis videtur, labeculã facit. Quot annis, aut quibus pœnis castigaturus est, eos, qui, non Sacrificij, cum consueta pietate, absoluendi causa; sed ut dormire, & edormire crapulam, ut perpotare, ut ludere possunt.

re possint, tot deserunt moribundos? tot oues negligunt, neque instruunt illis doctrinis, sine quibus æternam salutem non consequuntur? Decimas suas accuratè exigunt, vt habeant, vnde viuant. Sciant & oues exigere pabulum spirituale; quo subducto, illis est pereundum. Quid ergo tunc eiusmodi pastoribus continget? an septennij exilium illis sufficiet? Nequaquam, sed ob vnamquamque ouem æternùm, illorum negligentia, pereuntem, æternùm sunt perituri. Sed reuertamur ad nostrum Mauriliū. Is, navigatione superata, vestem mutauit, ne agnosceretur; vtque corpus assiduis laboribus diuexaret, Hortulanum professus homini primario operam condixit. Eo in opere apparuit; quanti referat, quam manu quid feratur, quàmque salutaris sit imber diuinæ benedictionis. Siquidem quidquid seminauerat, quidquid plantauerat, incredibili auctu fœnoreque proueniebat; adeò vt non solùm omnibus sufficeret, sed etiam nunquam deficeret, quod culinīs suis petebant. Hęc fertilitas & gratia horti magnam illi gratiam amorémque conciliauit; tandèmq; etiam extra Phæaciam, pro Alcinoō habebatur, Alcinoōs pariter plantando, &

do, & Onias, pro populo ac ouibus suis identidem orando.

Interea Andegauensis populus pastore suo viduatus absentiam illius semper magis magisque sentiebat. Deerat enim qui iussu dæmones fugaret, oratione ægros sanaret, signo crucis cæcos illuminaret. Quin, è cælo quoq; per varia visa, admonebatur, perque portenta terrebatur, ne deses esset in Antistite suo queritando, si vellet imminens vrbi excidium declinare. Adeò Deus bonos pastores cordi habet, & populum pastoris amantem amat; vt etiam terreat, & puniat, si non satis curet curatorem. Quem tantò impensiùs curandum, vel inde docemur, quòd vnus Episcopi sanctitas possit diuinæ iræ obstare, ne tota aliqua ciuitas euertatur. Electi sunt igitur, communi consilio atque impensa, viri quatuor probatissimæ virtutis, qui omnibus rebus necessarijs instructi, per diuersas orbis partes, Præsulem quæsitum proficiscerentur. Hi omnem ferè Europam perlustrarunt frustra, septimòq; tandem anno, re infecta, in Galliam reuersi, quem cis mare non repererunt, trans mare indagaturi, diuino ductu, ad eum Oceani portum, qui in Britannia minore est, peruene-

uenerunt. Ibi dum nauim expectantes, temerè aliquot spatijs factis, per littus, obambulant, in filice inscriptum inueniunt: HIC TRANSIIT MAVRILIVS ANDEGAVORVM EPISCOPVS &c. Ea indicina læti nauem, & mox mare intrant. Ad medium progressis, ex improuiso, grandior piscis, potenti saltu, de gurgite in nauim se librat, in quo exenterato eas ipsas sacrarum Reliquiarum clauës, quæ de S. Maurilij manibus, ante tot annos, arte dæmonis exciderant, benignitate Numinis iterum inuenerunt. Quibus agnitis, haud mediocri pauore perculsi timuerunt, ne & ipse Maurilius naufragio haustus perijsset. Anchoras iaciunt, & naue stante, in medium consulunt, progrediendùmne sit, an patria repetenda? Suadebant potenter nauæ, actum esse, reuerterentur, clauës notas hausti fluctibus Maurilij euidentis indicium haberi. Dum consulunt, nox subit, & somnus, & cum somno omnibus mandatum à Deo datur, vt cæpto itinere pergant, neq; cessent Antistitem suum inuestigare. Hoc somnio vno eodémque omnes vsi non censuerunt retro, sed porrò nauigandū. Quare, Angelo duce, & portum obtinuerunt,

C & ho-

& hospitio circumspecto, non in hospitium, sed in eas ipsas ædes delati sunt, in quibus Maurilius topiariam factitabat. Vix domum ingressi audiunt illicò desideratissimū nomen Maurilium; vt cum oleribus præsto esset, in clamari, vidētque quasi mediaſtinum, cum oleribus accurrentem. Mirificum tunc extitit gaudium, summāque admiratione stupefacti, ad illius se pedes abijciunt, atque vbertim lachrymantes, summa, qua possunt, ope, rogant, vti patriæ ciuitati-que suæ succurrere periclitanti ne dedignentur. Admiratur non minùs Maurilius, se inuentum & agnitum, quàm qui illum agnouerunt. Cum igitur se ipsum negare non posset, fugam fallus, redicū negauit, asserens se & voto, & iuramento conſtrictum, ne vnquam domum reuerteretur, nisi perditas in vndis clauēs recepisset. Ibi se demum diuinæ prouidentia ambages aperuerunt. Nam &, qui ad eum indagandum missi fuerant, visa sua retulerunt, & clauēs ipsæ è profundo pelagi postliminiò à pisce redditæ testimonium fuerunt diuinæ voluntatis. Excitata est ingens, inter omnes, admiratio; sed præcipuè obstupuerunt illi, quibus tantus Præsul, per tam multos annos,

nos,

hos; verniliter seruijt. Itaq; quem vt hortulanum habuerant, iam vt Præfulem venerantur, ignoscij; sibi petunt, quòd incognitum non tractarint pro reuerentia & dignitate. Maurilius tot pulsatus argumentis precibusque fatigatus nondum tamen plenè consensit in reditum; nisi prius os Domini consulisset. Inducias igitur, in alterum diem, petiuit, totamque vigilijs ac precibus noctem impendere statuit, vt mentem opemque diuinam imploraret. Concubia nocte, peruigilio fessum lenis sopor oppressit; ibi Angelus adfuit, eumque ita affatus est: *Surge, Maurili, & populorum te requirentium exequere votum. Ecce enim tuis precibus & meritis tibi commissas Dominus seruant oves, pro quibus rogasti, & insuper reddidit puerum, quem diutius plorans quæstisti.* Facto die, non minore luctu eorum; quos relinquebat, quam gaudio illorum, quos comitabatur, ad nauim deductus est. Domum vbi venit, ad defuncti pueri & iam septem annis sepulti tumulum accessit, terraq; eruta, in genua procumbens, longam, cum vberissimo fletu, orationem ad Christum effudit. Qua finita, vtrique consurgunt, Maurilius de oratione, & puer de morte:

C 2. quem

quem consecratum, ex euentu Renatum appellauit, habuitque post se, in Episcopatu Andegauensi, Successorem, & ipsum miraculorum grandium patratores. Sic Maurilio defunctus puer, Maurilius populo suo redditus, maiore cum gaudio & honore domi exceptus, quàm, in exilio, ad nauim, ingenti hominum multitudine concurrente, deductus est. Sic clauium repertarum fors Maurilium domum reduxit, Verùm, vt de muneribus dici assolet, ita & hîc *nec omnia, nec passim, nec ab omnibus* imitanda sunt. Itaque ne aniculæ, cum his talibus, friuola, & gerris Siculis vaniora, permisceant, & *Hiberas narias Ægyptiacas*, vt D. Hieronymus ait, *portenta sectentur*, prouidescoria ab auro est separanda. Quid si Maurilius, clauis in mari sepultas, putasset nunquam, sicut ferrum ad securim olim, naturas, atque ea loquendi formula indicare voluisset, se quoque nunquam rediturum, atque ita non ipse *sortes*, aut signum reditus à Deo poposcisset, sed Deus non poscenti inuentionem clauium pro sortibus esse constituisset? Quod sæpe euenit nunc, nihil minus, quàm de *sortibus* cogitanti. Vnde nihil in exemplum trahere possunt mali *sortium* usurpatores.

Vlpianus
in Pan-
dect. l. 1.
tit. de of-
ficio Pro-
consulis,
ex epist.
D. Seue-
ri & An-
tonini
Imp.
S. Hie-
ron. in
12. qq.